

76. Quibus tamen vocabulis neque Orthodoxi Patres, neque nos modum praesentiae corporis & sanguinis Christi definimus, qui minimè talis est, quique rationis humanae captum longè transcendens, solius fidei Organo percipitur: Sed hoc docemus, ipsam εἰς αὐτὴν sive substantiam corporis & sanguinis Christi, non in signo duntaxat, aut in efficacia tantùm & virtute: sed secundum substantiam verè adesse, exhiberi, & accipi.

77. Quo eodem modo particulis etiam in illis in, cum, sub, non ad stabiliendam aliquam inclusionem corporis & sanguinis Christi; non ad confirmandum impium Transsubstantiationis dogma: sed duntaxat ad veram Essentialis corporis & sanguinis Christi in S. Coena praesentiam demonstrandam, Orthodoxos patres secuti, uti solemus.

78. August. in sentent. Prosper.: Sanguinem Domini sub vini specie & sapore potamus. Et in lib. ad Neoph. Hoc accipite In pane, quod pependit in ligno: hoc accipite in calice, quod de Christi latere effusum est.

79. Quibus tamen phrasibus & modis loquendi non ita praesractè & contumaciter insistimus, ut, si de vera & sana doctrina mutuus utrinque esset consensus, eas paci ac tranquillitati Ecclesiae esse-
mus antelaturi: Sed, dum de adversariorum mira
versutia & calliditate, quam in hoc cum-
primis certamine Eucharistico occultant,
nobis